

Franckesche Stiftungen zu Halle

Salomonis, Regum hominumque, peccati labe laborantium, sapientissimi, Proverbia & Ecclesiastes

Breithaupt, Joachim Just

Magdeburgi, 1717

VD18 11104074

Caput Quartum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216270

- Arcanum nudare tuum, secretaque pacta ^d
33. Credere! sæva domum premit irritata scelestam ^e
 Ira ^d tua: at, tenues scis fortunare tabernas ^e,
 Atque humiles habitare casas cum gente piorum ^f!
34. Tisiphone haud cessat. DEUS illudentibus ipse
 Illudet ^f: miserans, solis dat munus anhelis ^g.
35. Gloria, non stultis; verum sapientibus omnis
 Debetur, veluti iustis hæredibus ^h, apta:
 Quisque amens ⁱ, ignominiam ^k, pro sorte, reportat;
 Quæ tum attollet eum, sordentem nomine turpi.

CAPUT QUARTUM.

Cohortatio, erga plures. 1, 2. Autor exemplo monstrat suo, quòd parentum monita observanda sint. 3, 4. Sermocinatio: urget, necessariam esse obedientiam ac constantiam, in pietatis & eruditionis studio, salutem afferente. 5, 6. Sapientie fructum, obtineri demum ab eo, qui ipsam, rebus omnibus posthabitis, acquirat, celebretq;. 7, 8, 9. Interposita patris obtestatione; 10, 11. hic instat, acriorem disciplinam & crucem, non esse obstaculum, sed fortissimum adminiculum: 12, 13. impedimentum verò externum, quod ponitur in pravis exemplis, detestandum esse, ut felicitati prorsus contrarium. 14.--19. Iteratâ obtestatione, attentionis causâ, 20, 21, 22. idem concludit: speciatim fugiendum, neglectum cordis, 23. oris, 24. oculorum, 25. pedum: 26. & generatim, abusum omnium affectuum ac sensuum, internorum atque externorum. 27.

Nunc

- (d) XI, 13. XX, 19. XXV, 9. Ps. XXV, 14. 2. Tim. II, 19. (e) II, 22. XII, 3. r. XIV, 11. XV, 6. l. XXI, 20. z. XXIV, 15. (f) I, 26. r. (g) XIV, 21. XV, 15. XVI, 19. XXII, 22. XXX, 14. 1. Petr. V, 5. (h) VIII, 21. XI, 29. XIV, 18. XXVIII, 10. (i) I, 4. 7. q. 22. XXVI, 8. (k) VI, 33. IX, 7. XI, 2. 12, 13. XII, 16. XIII, 18.

- N**unc agite, ô nati! monitis! præstare paternis
 Obsequium, moresque feros mollite colendo.
 Discite doctrinam ^m! vos hanc benè scire, decebit:
 2. Quamque bonam ^m vobis, intellectuque salubrem,
 Dono, meam legem, ne mente relinquitte vestrà.
 3. Progenies dilecta fui, genitoris in ulnis
 Atque oculis residens. teneri lanugine nondum
 Vernabant vultûs; & eram suavissimus unus
 4. Coram matre meâ: quum me is sermone doceret,
 Jam tum hæc instillans.

- Tu condita mente teneto,
 Quæ dabo! custodi ⁿ interiùs munimine firmo,
 Quæ tibi præcipio, veram spondentia vitam ^o.
 5. Tu mercare ⁿ pius *Sophien*: mercare *Phronesin*!
 Ne pigeat, meminisse mei: nec ab ore meorum
 Verborum segni declines ^p corda veterno.
 6. Non dimittenda est hominum divûmque magistra;
 Te quia tutatur: totam tu amplectere totus ^q;
 Consulet ipsa tibi, tanquam fidissima conjux ^q.

D

Prin-

PARALLELISMUS CAPITIS IV.

- (l) I, 2. III, 11. t. (m) I, 5. mala: VII, 21. (n) II, 1, 2. &c. III, 21.
 (n) III, 14. XVII, 16. (o) III, 2. 4. 16. 22. (p) VI, 5. (q) BASI-
 LIUS Homil. XII. Corpora per complexus impuros contaminantur: anima
 verò per sapientia complexum, tota per totam ad se ipsam unita, sanctitate &
 puritate completur. (q) II, 11.

7. Principium omne boni, Sapiëntia, semper emenda ^r:
 Quicquid opum in terris unquam possessor habebis,
 Vende ^r; ipsamque para, quavis cum parte sciendi.
8. Augustam evehito! sic te in sublime levabit ^r.
 Cunctantem, hinc atque hinc complexu utriusque
 lacerti,
 Tam parentis ei, quàm demirantis amatam,
 Divam si foveas; omnis te gloria ^r cinget.
9. Ecce! tuo capiti quanta est, quanto affluit auctu,
 Gratia ^r! quæ pleno te mox circumdabit auro ^t.
10. Nate, meos audi sermones, accipe nostros ^u!
 Annorum vitæ series tibi multa redibit ^x.
11. An non te docui Sophiae compendia dudum
 Providus, atque rotis ^y rectis incedere jussi?
12. Trames ut angustus fuerit, tamen iste nec ullum
 Gressum ^z intercludet; modò tu spatieris honesto
 Ordine: sed, ducet vadentem in pascua læta.
 Si juvat, eniti generosiùs; atque per altum
 Virtutis stadium celeri decurrere motu;
 Atque poli super astra, solique per aspera ferri;
 Atq;

(r) II, 1. b. (s) III, 16. c. (t) I, 9. t. XVI, 31. XX, 29. XXIII, 16. XXVIII, 12.
 (u) I, 3. II, 1. IV, 1, 2. (x) III, 2, 16, 22. VII, 2. IV, 11. (y) II, 9, 15.
 (z) V, 5. XVI, 9. XXX, 29. Jer. X, 23.

- Atq; hominum, ac Superûm, volitare per ora beatum:
 Non finet, hæc lucis præses, te impingere ^a casu.
13. Asperiora simul (quibus olim heroas ad arma,
 Ingenuos quibus, ad Libani sacra ardua raptans,
 Suscitât, & dictis, & corripiente flagello)
 Te quando attingunt, tu suscipe; ut arva procellam,
 Balsama ut ægrotus, capta ^b, cupidè imbibe; nunquam
 Desere: nam, si tu facili observaveris ^c usu
 Maternam, venerans, virgam; tibi vita ^d futura est.
14. Quid verò temerè aspectas vestigia vulgi
 Pessima? Ne malis, illuc descendere, demens;
 Neu, junctis gradibus consortia inire malorum ^e!
15. Inde fuge: haud tenta, pedibus contingere callem
 Pollutum ^e; prætergredere, heu! teque eminus aufer.
16. Isti infelices, concreta in labe sepulti,
 Nec somnum capere antè queunt, quàm forte nocendi
 Saltem aliquâ expletâ: sopor ipse abrumpitur omnis ^f,
 Ni quem præcipitem dederint, vi & fraude subactum.
17. Impietate suâ quæsito, pane fruuntur:
 Pocula ^f, quæ potant, meministi, horrere rapinis ^g.

D 2

Semita

(a) *inf.* 19. X, 3. 7. 16. 24, 25. 30. XI, 14. 22. 24. XXIV, 16. (b) III, 18. (c) I, 8.
 II, 11. (d) IV, 4. 10. (e) I, 10. 15. II, 12. 13. 20. 22. g. III, 31. 35. IX, 6.
 XXIII, 19. XXVIII, 5. XXIX, 6. (e) I, 25. r. (f) VI, 4. (f) IX, 2. 5.
 XX, 1. XXI, 17. 20. XXII, 20. XXIII, 20. 30, 31, XXXI, 4. *Eccl.* II, 3. (g) III, 31.

18. Semita & justorum ^b contrâ, splendoribus ardens
Auricomis vehitur, crescitque; ut flamma diei ^b
Ignipotens summis conscendit viribus axem.
19. Impia turba, viam obscurâ ferrugine condi,
Negligit; ac, ubi se fata exitialia tangant ⁱ.
20. Atque ideò, *Fili!* crebrâ es mihi voce monendus,
Ut satis attendas verbis, quæ dissero; & aure
Arrectâ arripias ^k, servesque edicta fidelis.
21. Ne quondam ex oculis ea diffugisse querare ^l;
Pectoris in medio sint imâ sede reposta
Semper, ut hosti aditum vigilans præcludere possis ^m.
22. Dixi equidem; & confirmo tibi, quòd vita ⁿ perennis
Inde fluat cunctis: quicumque invenerit illa,
Hujus erunt animo, corpusque per omne, medela ^o.
23. Excubiis opus est multis: at, nulla periculo
Majori obstiterit, quàm quæ vigilantia ^p cordi ^p
Prospicit: hoc curis, hoc tu defende precum vi.

Namque

(g) I, 15. e. (h) IX, 9. a utrumque. (h) Judic. V, 31. (i) sup. 12. a. (k) V, 13.
(l) III, 21. 32. V, 12, 13, 14. (m) II, 2. 8. III, 3. 5, 6. (n) sup. 13. II,
2. 18. 22. III, 2. i. (o) III, 8. 22. n. XII, 18. XIII, 17. XVI, 24. (p) sup. 13.
II, 11. V, 12. VII, 25. (p) sup. 4. 21. I, 24. II, 2. III, 1. 3. 5. AMBROSIIUS
Offic. lib. I. c. III. Custodiamus cor nostrum: custodiamus os nostrum!
utrumque enim scriptum; ut os custodiamus; Eccl. III, 7. Matth. XII, 36. &
hic v. 24, ubi v. 23. tibi dicitur: omni custodiâ serva cor tuum! Custodi in-
teriorem hominem tuum. Noli cum quasi vilem negligere ac fastidire, quia

Namque hinc vitarum, repeto, se effundere fontes 9;
Sive istos natura ferat, seu gratia ab alto.

24 Est etiam labor, in curandis mentibus, alter:

Ut vaga rumorum convicia, verbera torta 9,

Ambiguosque sonos, & non innoxia verba,

D 3

Pellere

pretiosa possessio est. Et merito pretiosa; cuius fructus non caducus & temporalis, sed stabilis atque aeterna salutis est. (q) III, 22. TERTULLIANUS, de anima, 5. Christiani apud DEUM de utroque deducimur, & esse principale in anima, & certo in corporis secessu consecratum. Si enim, scrutatorem & dispectorem cordis DEUM, legimus; si etiam Prophetis, occulta cordis traducendo, probatur: si DEUS ipse recogitatus cordis in populo praevenit; Quid cogitatis in cordibus vestris nequam? Sic & David, cor mundum conde in me DEUS! & Paulus, Corde, ait, credi in iustitiam; & Joannes, corde, ait, suo unumquemque reprehendi. Si postremo, qui viderit feminam ad concupiscendum, jam adulteravit in corde: simul utrumque dilucet, & esse principale in anima, quod intentio divina conveniat, id est, vim sapientialem atque vitalem; [quod enim sapit, vividum est] & in eo thesauro corporis haberi, ad quem DEUS respicit. HIERONYMUS, ad Fabiolam, de Vestitu Sacerdotum: Quiritur, ubi sit anima principale. Plato, in cerebro; Christus monstrat in corde: beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Et, de corde procedunt cogitationes malae. Et, quid cogitatis nequam in cordibus vestris? conf. Prov. XIV, 33. m. Plura vid. VI, 32. X, 8. XIV, 33. m. Eccles. II, 14. h. (q) V, 1. a. VIII, 8. BASILIUS l. c. Ut arti, [Sophistica] verbis contortis, fucatisq;, decipulo dicendi generi, resistere probe valeamus, magnum Proverbia praestant adjumentum: quoniam, quicumque haec attentius audierit, & illorum monita diligenter acceperit; tanquam rerum experientia munitus, haec sophismatum contorta excipiet illaesus, minimeq; ab eis persuasus; minime propterea à veritate discedens. Quemadmodum enim lepores vulpesq;, canibus aliam cursus monstrantes viam, aliam conversi tenent: sic huiusmodi orationis involucri spiritualis doctrina simplicitatem ac viam detorquent. Attamen, qui quandoq; problemata, aequas utring; probationes habentia, in-